



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

284. De secunda & tertia Petri negatione, ejusdémque pœnitentia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Petrus in medio eorum. *Luc. 22. v. 55.* Petrus verò sedebat foris in atrio. *Matthaei 26. vers. 69.*

III. Cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis, ( ancilla ostiaria, *Ioan. 18. v. 17.* ) & cùm vidisset Petrũ, *Marc. 14. v. 66. & 67.* sedentẽ ad lumẽ, *Luc. 22. v. 56.* & calefacientem se, *Marc. 14. v. 67.* & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cũ illo erat. *Luc. 22. v. 56.* Accessit ad eũ una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo, Nazareno eras. *Matth. 26. v. 69. Marc. 14. v. 67.* Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? *Ioan. 18. v. 17.*

IV. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis. *Matth. 26. v. 70.* At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi, quid dicas. *Marc. 14. v. 68.* At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. *Luc. 22. v. 57.* Dicit ille: Non sum. *Ioan. 18. v. 17.* nimirum ex discipulis hominis istius. Et exijt foras ante atrium, & gallus cantavit. *Marc. 14. v. 68.*

### MEDITATIO CCLXXXIV.

*De secunda & tertia Petri negatione, ejusdemque pœnitentia.*

I. **E**Xeunte autem illo januam, vidit eum  
alia

D. N. IESU CHRISTI. 265

alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. *Matth. 26. v. 71.* Stabant autem servi, & ministri ad prunas, quia frigus erat, calefaciebant se; erat autem cum eis Petrus stans, & calefaciens se. *Ioan. 13. v. 18.* Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum. *Luc. 22. v. 58.* Et iterum negavit cum iuramento; Quia non novi hominem. *Matth. 26. v. 72.*

I I. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus est. *Luc. 22. v. 59.* Accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit. *Matth. 26. v. 73. Marc. 14. v. 70.* Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? *Ioan. 18. v. 26.* Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicitis. *Luc. 22. v. 60.* Tunc cœpit detestari & jurare, quia non novisset hominem. *Matth. 26. v. 74.* Cœpit anathematizare, & jurare; Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit. *Marc. 14. v. 71.* Continuò, adhuc illo loquente, cantavit gallus. *Luc. 22. v. 60.*

III. Conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. *Luc. 22. v. 61. Marc. 14. v. 72.* Et egressus foras Petrus fleuit amarè. *Luc. 22. v. 62. Matth. 26. v. 75.*

### MEDITATIO CCLXXXV.

*IESVS à concilio damnatus ducitur ad Pilatum.*

I. **U**T factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit manifestum, quod Iesus filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. *Luc. 22. v. 66. 67. 68. 69.*

II. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore eius. *Luc. 22. v. 70. v. 71.*

III. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. *Luc. 23. vers. 1.* Adducunt ergo IESUM à Caipha in prætorium. *Mar. 18. v. 28.* Et vinctum adduxerunt.

*cum,*